

haberetis, usque ad C. ult. Sic eum volo manere &c. Autor, qui haec in Schola Vien. praelegit, si Titulo dorso Codicis adfixo fides, est *Petrus de Pirkenwart*, qui laborem antecedenti Codice coeptum hic profequitur. Codicem utrinque ambiunt Membranae 2. Sec. XIV. exhibentes Expositionem in *Job* a C. XXXVIII. v. 35. ad finem, cujus Autor e notioribus non est, ut jam Cod. antecedenti dixi.

CXCII.

- U. 43 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 376. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus aliud est praecedentis Exemplar *απολογιστον*; habet enim ad calcem: *Et sic est finis lecture huius evangelij Anno domini 1471.* Ad sunt eodem modo Quaestiones discussae a fol. 255. ad finem.

CXCIII.

- U. 18 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 138. f. per duas columnas scriptus, rubricis enotatus et, ut praefert Nota, legatus ad collegium beate marie virginis domus rubee rose apud fratres predicatorum in *Vienna* a *Thoma de Haslpach* sacre pagine prof. in *perchtoltzdorff* plebano et ad *S. Steph. Canonico* complectitur *Nicolai de Lira* O. M. Postillas primo in *Actus Apostolorum*, quarum initium: *Repleti sunt omnes spiritu sancto* &c. dein in *VII. Canonicas Epistolas*, quarum initium: *Quatuor sunt minima terre* &c. demum in

Apocalypsin, quarum initium: *Datus est mihi calamus similis virge* &c. At postremae hae ad *Lirano* non pertinent, ut e comparatione tam cum vetustis hujus Editionibus, quam cum Bibliis glossatis liquet. Non enim *Prologus* tantum, cujus initium dedi, sed ipsa etiam Expositio, quae in fit: *Ego Johannes &c. Totus iste liber divisus est in tres partes in probemium executionem epylogum* &c. a bit a *Lirano*. Ad quem porro referenda sit, in tanto eorum, qui *Apocalypsin* tentarunt, numero difficile est dispicere. A me saltem more meo haud indiligerter quaesitus est. *Haymone Halberstad.* et *Richardo a S. Victore* multum utitur, jamque de Scholasticis est. Codicem in *Germania* ab homine festivo scriptum probat calx *Aet. Apost. Amen Daz geschech*, et calx *Canonicar. Explicit per manus et non per pedes.*

CXCIV.

- U. 153 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 287. f. manu difficili perscriptus continet: I. *Lecturam in Actus Apostolorum* cum Prologo: *Lucas anthiocensis natione syrus* &c. ut consuetum. Textus medium occupat, Expositio margines implet, et inter lineas incurrit. Incipit autem: *Hic incipit liber actuum apostolorum, in quo beatus lucas prima se continuat ad precedentia, secundo profequitur subsequentia* &c. Ad calcem in orafolii infima legitur: *Ga feria ante Katherinam 1446° hora fere 10.*

II.

II. fol. 64. succedit *Lectura in Evangelium S. Johannis*, incipiens a *Lirani* Prologo: *Facies Aquilae desuper* &c. ut in *Bibliis Glossatis*. Ad calcem: *Finis jo. in 4^a feria post octauam resurrectionis Domini*.

III. fol. 137. *Lectura in Evangelium S. Matthaei* praemisso *Lirani* generali Prologo in *Evangelia*: *Quatuor facies uni* &c. Ad calcem: *finis Mathei in vigilia circumcissionis*.

IV. fol. 203. *Lectura in Evangelium S. Marci* praemisso itidem *Lirani* Prologo: *Facies leonis a dextris ipsorum quatuor* &c. Ad calcem: *finis marci in octaua epiphaniae*.

V. fol. 232. p. 2. *Lectura in Evangelium S. Lucae* cum *Lirani* Prologo: *Facies bouis a sinistris* &c. Ad calcem: *finis in 4^a feria post inuocauit*. Nolo prolixior esse in recensendo *Commentario* et *Glossa ord.* et *Lirani Postillis* maximam partem conueto, quem, ut in *Codice* non procedat debito *Librorum* ordine, pro *Scholis* tamen ex *adscriptis* ad calces autumo, ab *Novembri* vel *Decembri* 1445. usque ad *Novembrem* 1446. praelectum fuisse, initio a *Matthaeo*, et fine in *Actis Apostolorum* dato. In *Autoris* notitiam deducere possunt, quae ad finem *Codicis* ab eadem manu leguntur: *Anno domini M CCCCX^o et eodem anno papa alexander erat bononiae et obiit ibidem in ascensione christi et electus est ibidem pro eo iohannes XXIII. post pentecosten, et ego conradus Rumel veni de curia circa*

*festum michaelis et processu ad sacros ordines in angaria ante natiuitatem Domini quando incipiebat annus Domini XI. Considera o conrade, quam misericors est Deus et invoca eum, ut omnes illi mendaces inueniantur, qui dicunt tibi, quod non permanes in bono proposito, specialiter ut ille mendax inueniatur, qui dixit tibi anno Domini MCCCCXI. in die conceptionis marie in domo conradi Ruoker, quod infra spacium trium annorum haberes duos pueros. Cum Nota haec Codici coaeva sit, adeoque circa a. 1446. scripta, Scriptore tunc saltem annum 58. agente, mirum, quam is animo infixum habuerit illud Pauli: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*. Ad quos *Rumelios* ille pertinuerit, ignoro; nihil enim de illo in *Scriptoribus nostris Academicis*. *Conradi* nomine deceptum quendam *Thecae Codicis* inscripsisse video: *M. Conradi Salder*. Virum hunc ex *Rotenacker* oriundum anno *Praelectionis nostrae* 1446. *Artium tantum Magistrum* et *Nat. Rhenanae Procuratorem* inuenio, quae cum *Cathedra theologica* vix congruunt.*

CXCIV.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 150
Folior. 359. f. bene scriptus, et rubricis distinctus exhibet: I. ut e calce praeoccupo, *Lecturam* in *Actus Apostolorum per R. Magistrum Stephanum marquardi de stockbarn pro primo cursu suo in solempni vniuersitate Wyen. lectam*.